



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Disptatio Qvarta. Quodnam sit ultimum constitutivum Essentiæ Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

## DISPVTATIO QVARTA.

*Quodnam sit ultimum constitutivum Essentia Dei.*

**C**VM Deum esse, ex dictis fit manifestum, quid sit, nunc inquirendum, illiusque proprietates & perfectiones indagande: quod commodius fieri nequit, quam si in quo ejus essentia, que proprietatum omnium & Attributorum, nostro intelligendi modo, radix est & principium, consistat, perspectum habeamus: quam proinde hac Disputatione investigabimus.

## SECTIO PRIMA.

Negant aliqui, dari peculiare Constitutivum Divinæ Essentie.

I.  
Aristoteles  
3. Met. tex.  
2.

**E**NVENIRE veritatem difficile: rerum neque bene ratione dubitare facile est, inquit Philosophus. Quod, si in re ulla verum sit, in ea qua de hinc agimus, longe est verissimum: nihil quippe abditum magis & recordum quam natura & essentia Dei, qui licet Lux sit, & tenebra in eo non sint ulla, atque a beatis, qui nullam interpositam mortalitatis nube, cum intuentur, clare cernatur, iisque divinitati gloria sua manifestetur; nobis tamen, qui in tenebris & umbrâ mortis sedemus, posuit tenebras latibulum suum, & aegrè quidquam certi de essentiali ejus conceptu, & constitutivo assequi possumus, ut ex tentatione hac in re varietate constabit.

II.  
Prima sententia negat  
dari Constitutivum  
Divinae  
Essentiae.

Primò itaque nonnulli, nihil in Deo cum fundamento concipi posse affirmant, in quo ejus essentia formaliter sit, nec ullam hujusmodi prædicatorum seriem distingui oportere, sed Dei essentiam, etiam ratione nostra, esse illud totum à parte rei; *Ens scilicet incrementum, immensum, eternum, omnipotens, infinitum, omniscium, sapientissimumque providentia in suis queque fines aptè disponens*, &c. Cum enim hæc omnia re ipsa identificantur, frustra, inquit, in varijs ea prædicta distinxerit, & unum infer illa per modum rādīcis, alia instar proprietatum conceperit, cum revera nulla ibi radis sit, nulla proprietas, nihil prius, nihil posterius, sed omnia sint unum.

III.  
Oferuntur,  
illos male  
negare pe-  
culiare con-  
stitutivum  
Essentiae in  
Deo.

At sanè meo iudicio hi Autores parum congrue, vel ad Angelici Doctoris mentem, quem lequi in omnibus profertur, vel ad communem Theologorum & Philosophorum proximam, vel deinde ad ipsam rationem, philosophantur. Primò namque nihil apud S. Thomam frequentius, quam ut essentiam ab Attributis, & hæc inter se, mente distinguit, quendamque in iis rationis ordinem agnoicit: sic q.r. de potentia, a.1.ad. 1. ait, *Essentiam Dei non habere principium, etiam secundum rationem cognitionem vero Dei habere principium secundum rationem*.

*Male affirmit  
Nominales  
divina At-  
tributa mihi aliud ef-  
fere, quam  
diversa no-  
mina.*

Sic i. p. q. 13. a. 4. affirmat, diversi Dei nomina diversa in eo significare rationes, secundum varios, quos de coformat humana mens, conceptus. Quod etiam docet in i. d. 2. q. 1. a. 3. que, & alia his similia, passim apud S. Doctorem reperiuntur; quem hæc in parte imitantur Theologi, dum de divina Essentia & Attributis loquuntur, & Nominales hoc nomine reprehendunt, quod divina At-

tributa nihil aliud quam diversa nomina esse affirmant: Imò & ordinem quendam in prædictis divinis agnoscunt, & unum inferunt ex alio, ut, cum aternitatem probant ex immutabilitate, &c. De quo plura infra, sect. 9. n. 1.

Hic etiam eorum philosophandi modus Aristoteles Peripateticusque omnibus, ac recepte in Scholis confutandini adversatur: Aristoteles quippe & Philosophi omnes essentiam, in homine exempli gratiâ, a proprietatibus Metaphysicis, admirativo & risibili, quamvis cum ea realiter identificatis, ratione distinguunt, & quendam inter illa ordinem statuunt, essentiam eorum radicem appellant, & admirativum per rationem, seu essentiam, risibile per admirativum Demonstratione *Propter quid*, seu à priori probant: quod aperte indicat, eos quandam hic, ratione nostrâ, subordinationem inter essentiam & prædicata hæc Metaphysica agnoscere. Hæc de re, sect. 4. n. 2. iterum redibit sermo.

Dicunt aliqui, Aristotelcm & Philosophos, dum afferunt risibile non esse de essentia hominis, sed proprietatem; dicunt, inquam, loqui eos de risibilitate, quæ est potentia realiter distincta, non de prædicto illo Metaphysico realiter cum rationalitate identificata. Sed contrà: infirmis enim hi Autores non admittunt hujusmodi potentias distinctas. Deinde admirativum & risibile vocant passiones & proprietates Metaphysicas essentia; hujusmodi autem solum sunt prædicta realiter à re, cuius sunt proprietates, indistincta. Tandem, nec animalitas & rationalitas forent essentia hominis, sed proprietates, cum potentia & vis proxima intelligendi & sentiendi, in illa sententia, sit realiter distincta, & quid consequens essentiam.

Denique hæc philophandi ratio maximam, meo iudicio, in scientiis parit obscuritatem, intellectuque tenebras offundit, ut potè in qua omnia confunduntur, & intricantur. Quemadmodum enim nihil ad clare procedendum (quod in omni scientia præcipue spectandum est) magis conduit, quam distinctio: ita ubi hæc tollitur, cœco plane modo proceditur, & humana mens, veluti in labyrintho deprehensa, infinitisque implexa anfractibus, quæ se vertat, nescit, ac difficultatem aliquam ingredia, nullum reperit exitum. Plura hac de re, sect. 4. n. 3.

Sed dicet quispiam: in divinis Attributa omnia, & de Essentia, & sui invicem sunt conceptu, de quo proinde ac de se mutuo prædicantur, hoc Patres, hoc Theologi, hoc Theologorum Princeps S. Thomas affirmat: ergo nec Essentia Divina sine illis, nec illa sine Essentia, nec unum Attributum sine alio concepi potest: frustrâ igitur unus aliquis peculiaris queritur conceptus Essentiae in Deo, cùm,

*Philosophi  
Essentiam  
à passioni-  
bus Meta-  
physicis &  
bas inter se,  
ratione di-  
stinguunt.*

V.  
*Male dicunt  
aliqui, hic  
intelligi ris-  
abilitatem  
realiter di-  
stinctam.*

VI.  
*Essentiam à  
passionibus  
ratione non  
distinguere,  
est intel-  
ligi tenebras  
offundere.*

VII.  
*Objicitur,  
Attributa  
include in  
Essentia.*

*An Attributa includantur in Essentia. Sect. II.* 25

cum, quicquid est in Deo, includat, omniaque ad illius constitutionem concurrant, & in eis includantur. Hæc objectio petit sectionem sequentem.

SECTIO SECUNDA.

*Vtrum Attributa Dei, ratione nostrâ, includantur in Divinâ Essentia, & è contrâ.*

L  
A parte rei  
Essentia inclaudi Attri-  
buta, & è  
contra.

RATIONE inquam; realiter quippe & à parte rei Attributa in Essentia, & hanc in Attributis, Attributa etiam in se invicem, omnia denique in omnibus includi certum est, cum à parte rei, includi aliud nihil sit, quām ea inter se identificari; hæc autem omnia perfectissimè identificantur, cum Deus sit ens simplicissimum: ita etiam P. Vekenus hic, Disp. 3. cap. 5.

II.  
Duplex in  
Deo prædi-  
catorum  
genus.

Notandum, in Deo duplex reperi prædicatorum genus; quædam namque directè ad Dei constitutionem pertinent, ut sunt, *Ens, substantia, vita, Spiritus, &c.* quæ proinde à Theologis vocantur prædicta essentia, sine quibus, saltem implicitè cognitis, concepi divina Essentia non potest. Unde sicut in homine, concepta ejus essentia, seu, animali rationali, necessariò representari debent implicitè prædicta omnia superiora, *Ens, substantia, corpus, vivens, utrumque quæ in ejus essentia continentur: idem est de Deo.* Alia in Deo est prædicatorum series, quæ non essentia, sed accidentibus substantiæ create perfectionib; res, sed accidentalibus respondent, ut sunt *Inflatio, Misericordia, Potentia, &c.* & de his procedit præsens quaestio.

III.  
Prima sen-  
tentia docet,  
Attributa  
re & ratio-  
ne esse de  
ceptu Esse-  
ntia.

Prima itaque sententia affirmat, perfectiones hasce intrinsecas, seu Attributa, *Inflatio, Misericordia, &c.* esse, ratione nostra, de Essentia Dei, & omnia Attributa esse de essentia singulorum, ita ut nec Essentia sine Attributis, nec Attributa sine Essentia, nec unum ex hisce Attributis sine alio, inò sine omnibus implicitè conceptis representari possit. Hanc sententiam tenet Molina 1. p. q. 28. a. 2. d. 4. Bannez ibid. dub. 3. Concl. 1. Zumel q. 8. Ruis de Trin. d. 8. fœt. 8. num. 8. Gillius 1. p. tr. 2. c. 6. Raynaldus Theol. natur. To. 1. disp. 6. q. 2. a. 2. eandem sententiam, quamvis concedant dari peculiare constitutivum Essentia Dei, distinctum ab Attributis, tenet Suarez To. 2. Metaph. d. 30. fœt. 6. & 1. p. l. 1. de Essentia Dei, cap. 11. 12. & 13. & lib. 4. de Trin. c. 5. & Granado 1. p. d. 7. n. & ex recentioribus non pauci.

IV.  
Nec Attri-  
buta sunt de  
conceptu Di-  
vinæ Esse-  
ntia, nec è  
contra.

Contra sententia, nimirum nec Attributa isthac esse de conceptu Divinæ essentia, nec è contrâ, nec unum etiam Attributum de conceptu alterius, sed posse unumquodque horum singulatum concipi, alius ne quidem implicitè representatis, & in hoc ab *Ente, Substantia, & aliis hujusmodi* prædicatis supra num. 2. recensis, differre, semper mihi visu est multo probabilius. Hæc sententia longe inter Theologos est communior: eam tenet Halensis 2. p. q. 49. Albertus in 1. d. 8. Henricus 1. p. Summ. art. 32. q. 1. ad 3. ubi *esse & vivere* negat esse Attributa, quia sunt de constitutione Essentia, & ea solum docet esse Attributa, quæ Essentiam jam constitutam ratione nostrâ consequntur. Ferrara 1. t. cont. Gen. c. 24. Capreolus in 1. d. 8. q. 4. Cajet. 1. p. q. 1. a. 7. Valsq. 1. p. to. 2. d. 119. cap. 2. Albertin. in *Predic. Relationis, coroll. 4.*

R. P. Comptoni *Theol. Scholast.* Tom. I.

dub. 2. diff. 2. Arubal 1. p. d. 28. cap. 3. Erize 1. p. d. 4. Fafolus, q. 4. dub. 1. Hurtado d. ult. Metaph. fœt. 2. Arriaga 1. p. d. 16. f. 1. Tannerus 1. p. d. 2. q. 2. dub. 5. afferens hanc esse communem veterum Scholasticorum sententiam. Quod à fortiori docet Scotus cum suis, qui scilicet, non ratione tantum, sed ex naturâ rei, & ante omnem intellectus operationem Attributa Divina distinguuntur ab Essentia.

Hæc aperte videatur mens Sanctorum Patrum, qui Attributa divina passim assertunt, non esse naturam, sed circa naturam. Sic S. Athanas. Epist. de decretis Synodi Nicenæ, *Certum, inquit, est, cum dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil nos eorum que circa eum sunt, sed ipsius substantiam significare.* Sic S. Basilii lib. 1. contra Eunomium, *Quoniam pacto, inquit, non deridendus, si creandi virtutem, substantiam esse dicat &c. & tamen certum est, creandi virtutem, seu omnipotentiam, esse realiter Dei substantiam;* & postea de *Bono, Iusto,* & id genus aliis loquens, ait, *hæc aliquid ponere eorum, quæ Deo convenient, & circa eum inspicuntur.* Idem affirmat S. Gregorius Nyssenus, S. Damascenus, & alii.

Nullus verò rem hanc clarius & distinctius expressit, quām S. Cyrilus Alexandrinus lib. II. Thesauri, ubi multa de Deo dici assertur, que, inquit, circa substantiam Dei conficiuntur, ita ut non ipsa substantia sint. Et quoniam nihil accidat substantia Dei, tamen cogi nos nonnunquam ait, quasi accidentia dicere, & mente accidentium more concipere, & multa in Essentia Dei, quasi accidentia esse confici. Et mox addit: Non omnia ergo, que in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant: reliquum est igitur, ut voce modo dicendi, accidentia esse dicamus: quoniam modo accidentium ea intelligimus. Hæc ille.

En ut Sancti Patres naturam in Deo ab iis que, ut ipsi loquuntur, sunt circa naturam, seu Attributa, *Inflatio, Misericordia, Omnipotentiam, &c.* distingunt, planèque diversos conceptus iis & nomina tribunt; & cum Deum nominamus, substantiam ejus, non que circa substantiam, cum *Bonum, Iustum &c.* que circa substantiam, non ipsum Dei substantiam nos concipere ac dicere affirman. Tandem Attributa hæc, quoniam ea in Deo esse dicant, nihilominus quasi accidentia appellant, id est, secundum rationinem nostram, non constituta primarium Dei conceptum, seu naturam, sed ad eam jam constitutam, nostro intelligendi modo, accidentia; quemadmodum in creatis *Inflatio, Misericordia, & similia, naturæ accidentia & accidentia physicae.*

Ratio conclusionis, præter dicta sectione præcedente, est; hæc enim prædicta habent rationes formales, & conceptus diversissimos, per quos menti limitatè ea & imperfectè cognoscenti observantur, & ut quis *Immensitatem* (idem est de *Omnipotentia*, & alio quoque Attributo) sub conceptu *Immensitatis* concipi, abs re planè videtur, ut cogite *Inflatio, Misericordia, & aliis Dei prædicatis*, cùm ad eum concipiendum ubique existentem, & per spatiū omnia tum realia, tum imaginaria diffūlum, conceptus *Inflatio* aut *Misericordia* non omnino conferat; nec enim, tribuenda singula singulis, Deus per *Inflatiā*, præcisè loquendo, est ubique, nec per *Immensitatem*, tum cuique tribuit, sed unum quodque prædicatum suos habet limites intellectuales, secundum quos menu imperfekte ea cognoscenti singula respondent, quantumvis realiter identificentur.

V.  
Patres At-  
tributa in  
Deo affir-  
mant, non  
esse natura-  
rem, sed circa na-  
turam.

VI.  
Pulebrum  
S. Cyrilli  
Alexandrini  
dictum erat  
ca Dei Esse-  
ntiam & At-  
tributam.

VII.  
Patres Esse-  
ria & Attri-  
buta diver-  
sus conceptus  
& nomina  
tribuunt.

VIII.  
Ratio cur  
nec Essentia  
Attributa  
nec se in vi-  
cem Attri-  
buta incli-  
dant.

Unde

## 26 Disp. IV. De Essentia Dei. Sect. III.

**TOMVS I.** Unde miror Patrem Granado, qui disp. sextâ admittit, & latè probat tum Essentiam ab Attributis, tum hæc inter se distingui objective, prolapsum esse in hanc sententiam. Conf. Essentia, ratio nostra, est radix Attributorum, non Attributa radix Essentia; ergo non quicquid formaliter est in Essentia, est formaliter in Attributis. Conf. 2. Inter intellectiōnem & volitionem in Deo est ratio ne nostra quidam ordo prioris & posterioris; ergo non se includunt: antecedens ostendetur sect. 9. num. primo.

### SECTIO TERTIA.

#### *Argumenta contendentia dari mutuam Attributorum inter se, & cum Essentia inclusionem.*

**I.**  
*Infinita Attributorum perfectio non arguit, ea se invicem includere.*

**O**BJICES primò: Singula Attributa sunt infinitè perfecta, idque in omni genere entis; ergo omnem in se perfectionem includunt, sicut & se invicem, & Essentiam, ac vicissim ab hac includuntur, cum Essentia non minus in omni genere entis sit infinita & perfecta, quam Attributa. Conf. Quodvis Dei Attributum est ens divinum, ergo includit deitatem & Essentiam.

**II.**  
*Attributa singula formaliter non sunt perfecta in omni genere eius.*

Ad argumentum Resp. Unumquodque Attributum realiter quidem esse in omni genere entis infinitum & perfectum, cum omnia inter se, & cum Essentia identificantur: loquendo tamen formaliter, & secundum conceptus inadæquatos, quos præcisè de iis format intellectus imperfectè illa representans, singula Attributa non sunt perfecta in omni genere entis; sed tam Essentia quam Attributa sunt in suo genere illimitata, habentque infinitatem & omnem perfectionem in ea linea possibilem, Essentia in genere Essentiae, Attributa in genere Attributorum, sicutque omnia sumul constituant ens summè infinitum, & in omni entis genere perfectum, Deum.

**III.**  
*Quomodo singula Attributa sunt ens Divinum.*

Ad Confirmationem dico, quodvis Dei Attributum esse realiter ens divinum, & Deum, utpote à parte rei cun Deo identificatum. Possunt nihilominus mente à Divinitate, seu Essentiæ præscindi, & tunc divinitatem in suo conceptu non involvunt, ac proinde sub illa ratione solum habent omnem perfectionem possibilem in suo genere, Infinitam in genere Infinitiæ, Misericordiam in genere Misericordie, & sic de ceteris. Addo tamen, quamvis in hoc statu præcisionis non sint eo sensu Ens divinum, quod scilicet Deitatem, seu Essentiam Divinam in se includant, ut jam ostendi, hoc tamen sensu sunt Ens Divinum, quod nimurum ordinentur tanquam intentionales quædam & metaphysicæ proprietates ad ens illud perfectissimum, & in omni genere complectum constituendum. Hoc tamen non est vel includere Essentiam, vel in ea includi, sicut nullus Philosophus dicit animal includere rationale, licet utrumque ordinetur ad constituendum hominem.

**IV.**  
*Essentia Divina non est tuto modo dicenda illimitata, aut finita.*

Objicies secundò: Si Essentia Divina, ut hoc modo præcisè concepta, non sit illimitata & infinita in omni genere; ergo est limitata & finita, cum haec sint contradictiones. Respondetur, Licet quidem Essentia Divina in suo conceptu formaliter & præcisè non includat Attributa, sicutque nec perfectionem formaliter in omni genere entis, non tamen ut sic dici potest vel limitata, vel finita abso-

lutè; haec enim voces, non præcisionem tantum sonant, sed exclusionem. Sicut, licet animal secundum se, & præcisè conceptum, non sit rationale, non tamen etiam ut sic, dici potest irrationalē, tunc enim excluderet rationale, nec posset cum eo constitueri essentiam hominis. Adde, Essentiam Dei vel secundum suum peculiarem conceptum, esse ratione nostra radicem omnium Attributorum, quæ est quædam etiam in omni entis genere infinitas.

Objicies tertio: Natura Divina est, non realiter tantum, sed etiam secundum rationem, omnium que cogitari possunt, simplicissima: illa autem natura est simplicior, que & suas in se proprietates formaliter includeret, & in illis includeretur: haec quippe nullam, etiam secundum rationem, admitteret compositionem. Respondetur, compositionem rationis nullo modo obstat simplicitati, ut rectè Suarez lib. primo de Deo, cap. 4. num. 8. Vasquez 1. part. disp. 22. cap. 2. & disp. 121. cap. 3. & alii secuti S. Thomam prima parte, questione decima-tertiā, articulo quarto ad tertium, ubi Deus, inquit, est unus re, & plures secundum rationem.

Adde, nullam esse excogitabilem naturam, qua in se diversas perfectiones, & variam virtutem continet, qualis in Deo infinitam omnes agnoscent, qua hujusmodi compositionem non admittat. Quare, ut in Logica dixi, nullum est prædicatum, compositionis per intellectum plane expers, præter prædicatum *Entis*, quod simul & simplicissimum est, & imperfectissimum, utpote quod nihil in se præter aptitudinem ad existendum involvit. Unde tantum abest ut hujusmodi compositionis rationis imperfectionem arguat in Deo, ut maximum arguat perfectionem; denotat enim inesse ei virtutem, re quidem & formaliter unam, eminenter tamen multiplicem, quam proinde intellectus in varias formalitates & predicata intentionaliter distinguat, eaque sic distincta unit denuo, vel adunat potius, & prout sunt à parte rei unum representant.

Objicies quartò, hinc sequi, dari in Deo accidentia, quod de summo Numine, vel cogitare nefas est. Resp. vel accidentium nomine intelligi entites quædam secundarias, qua ita Deo infunt, ut realiter ab eo distinguantur, & potuerint abesse; & hoc haud dubiè nefas est vel cogitare de Deo, in quo, quicquid est, necessariò est, nec minus definire potest esse, quam ipse Deus. Unde male apud Theologos, inò Catholicos omnes, audit Cajetanus, quod hujusmodi aliquid vel insinuaverit, actus scilicet Dei liberos ita statuens, quasi in Deo aliquid fuerit ab aeterno, quod ab aeterno in eo potuerit non esse.

Si vero quis per accidentia intelligat tantum prædicata quædam, solù intellectus operatione ab Essentiâ distincta, & ad eam tanquam radicem, ratione nostra, consequentia, quamvis re ipsa sine substantia, & realiter cum Deo identificata; nil in hoc video incommodi, ut nimurum hujusmodi accidentia metaphysica in Deo statuantur: quod etiam advertit P. Arriaga l. p. d. 16. sect. 1. n. 8. Imò hæc communis videtur Theologorum ac Patrum opinio, qui *Onnipotentiam, Misericordiam, Infinitem*, & id genus alia in Deo prædicta, vocant Attributa, quod nomen aliquid sonat consequens essentiam, sicut jam constituta intentionaliter adveniens. Huc etiam allusione videntur Patres Sectione præcedente citati numero quinto, dum hæc Attributa in Deo assertunt *Non esse Naturam, sed circa Naturam*.

V.  
*Simplicitas  
Divina na-  
tura non  
arguit in-  
clusionem  
Attributo-  
rum.*

VI.  
*Solum pra-  
dicatum  
Entis est co-  
positio in per  
intellectum  
expers.*

*Compositio  
rationis ar-  
guit perfe-  
ctionem.*

VII.  
*Dicere possit  
in Deo esse  
accidentia.*

*In Deo qui-  
quid est, ne-  
cessario est.*

VIII.  
*Possunt in  
Deo conce-  
dencia  
accidentia  
Metaphys-  
ica.*

ram; & S. Cyrillus Alexandrinus ibidem citatus numero sexto, dum Attributa illa vocat *quasi accidentia*, & modo accidentium de Deo dici & intelligi.

**IX.** Objicies quintò: Ex Essentia & Attributis fit *Vnum per se*, etiam ratione nostrâ; ergo Attributa sunt de substantia Nature, seu Essentia. Resp. Ad hoc ut Attributa faciant *Vnum per se* cum Essentia, etiam ratione nostrâ, sufficere quod concipiatur ut realiter cum cā identificata, & ordinata essentialiter ad eam in omni genere entis comprehendam & perficiendam. P. Arriaga nihilominus hīc, Disputatione decima-sexta sect. I. n. 7. ait, Si concipiatur ut distincta ab Essentia, & quid ratione nostrâ eam consequens, non confitueret cum ea sub hoc conceptu unum per se rigorosè.

## SECTIO QUARTA.

Aliud argumentum pro inclusione Attributorum in Essentia: ubi etiam satisfit auctoritati Patrum.

**I.** Obj: *huc à parte rei id estificantur cum Essentia;* Ergo & ratione nostrâ estificantur. **II.** *Exponuntur quædam distinctiones Attributorum ē Essentia.*

**O** BILICIES sextò: Attributa à parte rei sunt de Essentia; ergo & ratione nostrâ: ratio enim, ut recta sit, conformari debet rebus; ergo illud ratione nostrâ est Essentia quod à parte rei est. Essentia: sicut illud ratione nostra est aurum, ferrum, &c. quod tale est à parte rei: cū ergo à parte rei Attributa omnia sint Essentia, sūm etiam Essentia ratione nostrâ: Cui enim bono illa per intellectum & intentionaliter dividere, quæ realiter identificantur, & prioritatem illic imaginari ubi nulla est?

Sed contrà: hæc enim objectio non probat non posse varia in Deo prædicta significationes considerari & præscindi, quorum unum in alio formaliter non includatur; quod fieri posse ostendimus tota Sectione prima, & sect. secunda, num. octavo, sed contendit, nullo id fine & utilitate fieri. At fand si existimat in hoc nihil esse utilitas, non toties tamque accurate Aristoteles, quem hac in parte sequuntur Philosophi, essentiam à proprietatibus Metaphysicis: *rationale*, inquam, in homine, ab *admirativo*, & *rifiabile* distinxisset. Non etiam tantâ semper curâ, Porphyrii prædicabilis Dialectice auditoribus prælegentur, qui tractatus eō totus tendit ut modum doceat, quo res Physicæ una, in varia prædictata Metaphysica dividatur, si id nullo fine aut commodo fieri censeretur.

**III.** Clarius res innotescit dum per partes Metaphysicas evoluuntur. **IV.** Simne Attributa realiter de Essentia Dei.

Dico itaque, maximam in hoc reperi utilitatem: dum enim res quæpiam hoc modo evolvitur, & in diversa prædictata, quas mentali quadam anatomia dividitur, ejus natura & proprietates multo clarius innotescunt, subtiliusque penetrantur, & minutissima quæque, ac veluti atomi in eā contenti, perspicue discernuntur; quod non tam exactè præstat, dum quis rem candem per modum tantum unius, & confusiore illo modo considerat.

Ad id verò quod in Objectione tangebatur, Attributa scilicet realiter & à parte rei esse de Essentia Dei: video quidem nonnullos ita loquentes, ut Sotum in 4. Distinctione quadragesima-nona, quæfitione tertia, articulo tertio, conclus. secunda. Vasquez Disputatione centesima decima-nona, numero undecimo. Tannerum hic, Disputatione se-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

cundā quæfitione secundā, dubio quinto, numero quarto, & alios. Sed non loquuntur de Essentia præcisè, & secundum rationem suam Metaphysicam conceptā, sed latiori modo, prout idem sonat ac entitatem illam totam à parte rei existentem; hanc autem certum est includere per identitatem Attributa, cum à parte rei nulla sit inter ea actualis distinctione. Sunt ergo de Essentia Physicâ, non Metaphysicâ.

Dices: Essentia Physica & Metaphysica à parte rei non distinguuntur: si ergo sūm de Essentia Physicâ, erunt etiam de Essentia Metaphysica. Resp. Essentiam Metaphysicam esse Essentiam Physicam, non adæquat, & secundum suam latitudinem, sed inadequat sumptum. Essentia ergo Physica est entitas illa tota, homo exempli gratiâ, secundum omnia quæ dicit, & prout à parte rei existit: Essentia autem hominis Metaphysica, est unum tantum illius prædicatum per intellectum præcium, quod ut sic conceptum, non adæquat Essentiam Physicam: proprietates enim Metaphysicæ, admirativum feliciter & rifiabile (quæ tamen cum Essentia Physicè sumptu identifierantur) non includit magis quam animal includit rationale. Mutatur ergo in argumento status, & à statu præcisionis proceditur ad statum realem; qui argumentandi modus, ut in summulis dici solet, semper habetur virtuosus. Quando ergo in argumento dicitur, *Essentia Physica & Metaphysica à parte rei non distinguuntur*, negandum est suppositum; neippe Essentiam Metaphysicam, prout hoc nomine significatur, esse à parte rei: denotat enim essentiam Metaphysicæ præciam, scit secundum omnes, animal non est à parte rei prout hoc nomine significatur; inō nec homo, sed Petrus, Paulus, Bucephalus, Rhœbus, &c.

Denique objicitur auctoritas Patrum: de quorum tamē mente satis constat ex dictis sect. secundā, num. 5. 6. & 7. ubi tam aperte tum Attributa inter se, tum ab Essentia eos distinxisse vidimus, ut clarissim haec in parte loqui omnino non potuerint. Si quando ergo contrarium insinuare videantur, vel Essentiam latè sumunt, prout idem est cum substantia, vel loquuntur in sensu identifico, explicantes nimurum quid sit Deus, & quid in se à parte rei habeat: id enim declarare, eorum intererat, non autem in quos conceptus & prædicta per imperfectionem nostrum intelligendi modum distinguuntur ac dividuntur intentionaliter possit, hoc namque parum ad eorum intentum faciebat.

Hoc modo loquitur S. Augustinus libro sexto de Trinitate cap. 4. ab adversariis afferri solitus. *Explicatio Humanae quippe animo*, inquit, *non hoc est esse quod est fortè, aut prudentem, aut justum, aut temperatum. Potest enim esse animus, & nullam istarum habere virtutum. Deo autem hoc est esse, quod est fortè, aut justum esse, aut sapientem esse, & siquid de illa simplici multiplicitate, & multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significatur. Hæc S. Doctor: quæ nihil contra nostram conclusionem probant, imo pro eā faciunt potius, dum Dei entitatem vocat simplicem multiplicatatem, neippe re simplicem, multiplicem ratione, qua illam in varia prædicta & attributa dividit intentionaliter ac distinguuntur. Eodem modo intelligendus est S. Augustinus libro de Cognitione vera vita, capite septimo initio, dum dicit: *Dei spiritus est essentia invisibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam aeternitatem essentialiter possidens; idem ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa justitia, ipsa aeternitas existens.* Vult nimurum Deum hæc non contingenter,*

sed

Essentia nō  
nunquam  
late sumi-  
tur.

Essentia  
Physica, &  
Metaphysi-  
ca, quonodo  
distinguan-  
tur.

Essentiæ Mi-  
taphysica  
minus latè  
poterat quā  
Physica.

Exponuntur  
quædam di-  
stinctiones  
Attributorum  
ē Essentia.

VII.  
S. Augustini  
circa incla-  
sionem At-  
tributorum  
ē Essentia.

S. Aug. lib.  
de Cogni-  
tione vera  
vita, To. 9.

Quomodo  
Essentia Dei  
& Attribu-  
ta faciant  
Unam per  
se.

Efficiuntur  
quædam dis-  
tinctiones  
Attributorum  
ē Essentia.

C 2

TOMVS I. sed maxime necessariò in se continere, immo esse.

**VIII.** Similis est explicatio S. Bernardi libro quinto de Consideratione paulo ante medium, dicentis: *Si bonum, si magnum, si beatum, sapientem, vel quicquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instruatur, quod est, EST: nempe hoc est ei esse, quod hac omnia esse: si & centum talia addas, non recessisti ab esse; si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minusisti.* Loquitur nimis mellifluus Doctor de Deo ut est à parte rei Ens opinimò perfectum, atque nullam perfectionem ei adjici mente posse, quantumvis multiplicentur, quæ in ipso, antecedenter ad intellectus operationem re ipsa non contineantur.

IX.

*Dicitus quod-  
dam S. An-  
selmi.*

Infinita hoc in genere ex Patribus congerunt oppositus sententiaz assertores, quæ tamen omnia eadem patiuntur explicationes. Unum solummodo S. Anselmi dictum adjungam, quod ei principiū videam fidere adversarios, & tanquam efficacissimum ad suam sententiam probandam affer P. Granado disputatione illa septima citata, num. 3. In Monologio ergo capite decimo-quinto, sic habet: *Quid magis conspicuum, quid magis necessarium, quam quid eadem natura sit ipsa justitia? Quapropter si queratur, quid sit ipsa summa natura, quid verius respondebitur, quam justitia? Quapropter cum questionetur de illa, quid est? non minus congrue responderetur, justa quam justitia. Quod vero exemplo justitiae ratione esse conspicitur, hoc in omnibus, que similiter de ipsa natura dicuntur, intellectus sentire per rationem constringitur. Quicquid igitur de illa dicatur, non qualis, vel quanta, sed magis quid sit, demonstratur. Et capite decimo-quinto, cum plures divinas perfectiones enumerasset, subdit: Idem est quilibet unum illorum, quod omnia simul, &c.*

X.

*Explicatur  
bac S. Ansel-  
mi autorita-  
tis.*

Sed hac S. Anselmi auctoritas nihil melius adversariorum intentum probat, quam aliorum Patrum dicta, quæ jam explicuimus: hæc enim omnia, ut rectè Scotus, optimè intelliguntur in sensu reali & identico. Ideo vero ad questionem *Quid est natura Divina?* rectè respondetur, *Iustitia:* per nomen scilicet substantivum, quia hæc & ejusmodi perfectiones in Deo non sunt qualitates, sed substantia, ipsaque adeò entitas Dei.

XI.

*Relationes  
Divinae non  
sunt de for-  
malis conce-  
ptis essentia.*

Quod vero non quicquid est realiter in Deo, sit formale constitutivum Divinae Essentiae, videatur manifestum in Divinis Relationibus, quas facili omnes debent non ingredi conceptum Essentiae; alioquin nulla ex Personis Divinis haberet totam Essentiam, cum nulla habeat omnes tres Relationes.

## SECTIO QUINTA.

Tres aliae sententiae circa constitutivum  
Divinae Essentiae.

**I.**  
*Attributa  
conceptum  
Essentia non  
ingrediuntur.*

**O**STENDIMVS, Attributa conceptum Essentiae Divinae non ingredi, sed quantumvis cum ea realiter identificantur, esse nihilominus extra rationem illius constitutivam, eamque nostro concipiendi modo, velut radicum subsequi, & ut supra Patres loquentes vidimus, *Non esse Naturam, sed circa Naturam.* Nunc ergo ulterius in quo Metaphysicus Naturæ, seu Essentiaz Divinae conceptus sit, inquirendum.

II.

Quorundam itaque opinio est, rationem ulti-

mò Essentia Divina constitutivam esse *Infinitatem*, ut idem formaliter sit Deus, ac *Ens infinitum*. Sed contrà: vel enim per *Infinitatem* intelligunt perfectionem in omni genere Entis, ut idem sit Essentia Divina, ac quid habens formaliter omnem perfectionem possibilem: tunc autem relabuntur hi Auctores in sententiam haec tenus impugnatam: Deus enim est infinitè justus per *Attributum Iustitiae*, infinitè misericors per *Attributum Misericordiae*, & sic de ceteris: Ergo si Essentia Divina includat formaliter omnem perfectionem possibilem, includit *Attributa*, quod superioribus sectionibus ostensum est, dici non posse.

Si vero per *Infinitatem* nihil aliud intelligent quam illimitatum existendi modum, finis omnis ac termini experit: hæc ratio non Essentiam tantum, sed *Attributis* etiam, omnique adeò predicato Divino convenit: in Deo siquidem quicquid est, sine termino est, nullisque limitibus circumscriptum: & sicut *Essentia* in ratione Essentia, ita *Potentia* in ratione potentiz, *Iustitia* item, *Misericordia*, *Bonitas*, &c. in suo quæque genere est infinita.

Hinc ergo aperte constat ultimum Essentia Divinae, Metaphysicè sumptæ, constitutivum non esse *Infinitatem*, utpote quæ est generale predicatum, omnique rationi Deo inexistenti commune: constitutivum autem *Essentia*, quæ illi, ut in omni re videmus, esse debet quid illi peculiare, quodque ei soli conveniat. Conf. ultimum cuiusque rei constitutivum, est etiam ejusdem ab omni alio distinctivum: nequit ergo esse quidquam illi cum aliis commune, sed quod ei uni competit: *Infinitas* autem, ut dictum est, tam in *Attributis* reperitur, quæ in Essentia.

Sicut ergo *finitas* non potest esse ultimum constitutivum *Entis creati*, quia in omnibus reperitur; ita nec *Infinitas*, *Entis increati*: *Essentia*, inquam, Divina Metaphysicè sumptæ. Quamvis enim hic conceptus *Substantia infinita* Essentia Dei distinguit ab omni ente creato, non tamen ab omni increato: *Onnipotentia* siquidem, *Iustitia*, *Bonitas*, Attributa denique omnia & substantia sunt, & infinita.

Secunda itaque aliorum sententia est, ultimum constitutivum Divinae Essentiae esse *Ens à se*, vel *ex se*, vel *per se*, *Ens incrementum*, vel etiam simpli- citer *Essere*, seu habere essentialiter existentiam: eodem enim ferè hæc omnia recidunt: quod namque est *à se*, vel *ex se*, necessariò est, cum nullam habeat causam productivam, à qua in existendo dependeat, siveque nihil illud impedit potest quo minus existat. Hanc sententiam inter alios tenet P. Vckenus hic, Disp. 3. cap. 5. n. 19.

Hæc sententia primo aspectu non parum in se habere videtur probabilitatis, eamque à nonnullis ex eius auctoribus plusfideliter aliquando defensam audi. Si tamen quis cam propius intueatur, iisdem fere patre incommodis videbit, quibus priorem sententiam obnoxiam fuisse ostendimus. Quamvis enim *Ens à se*, *Ens necessarium*, &c. eximium quiddam præ se ferant, & excellentiā sonent Deo dignam, Divinamque Essentiam ab omni creato distinguant, non tamen eam distinguunt ab omni increato, sed in cunctis Dei prædicatis includuntur, non minus quam *Infinitas*.

Cum ergo abstractius hic de Essentia loquamus, prout numerum non à creaturis tantum, sed ab Attribu-

*Afferunt  
nonnulli,  
constitu-  
tivam Es-  
sentia  
esse Infini-  
tatem.*

*Infinitas est  
predicatum  
Attributis  
& Essentia  
commune.*

*IV.  
Ostenditur,  
Infinitatem  
non posse esse  
ultimum  
constituti-  
vum Divi-  
nae Essentiae.*

*V.  
Infinitas non  
magis est ul-  
timum con-  
stitutivum  
Entis incre-  
ati, quam  
finitas crea-  
ti.*

*VI.  
Ens à se non  
constituit  
conceptum  
Dei Essentiae.*

*VII.  
Ens à se non  
constituit  
conceptum  
Dei Essentiae.*

*Vñerius  
offenditur,  
Ens à se, non  
constitutere  
Divinam  
Essentiam.*

Attributis etiam Divinis distinguitur, statui in conceptu nequic Attributis cum Essentiā communi. Conf. Ens primā divisione ab omnibus dividitur in *Increatū*, & *creatum*, seu, & se, & ab alio: Ergo cuicunque in divinis prædicatis convenient conceptus *Entis*, convenient etiam conceptus *increatū*, & *a se*: Sed nullus negat in omni prædicato divino, quantumvis abstracte considerato, includi implicitè conceptum *Entis*: Ergo in omni etiam prædicato divino includitur implicitè *Increatū* & *Aseitas*, sicut in omni re & prædicato creato includitur implicitè *Abaleitas*.

*IX.  
Essentiam  
Dei nonnulli  
statuunt in  
actuali in-  
tellectione.*

*Predicata  
particularia  
ratione no-  
strâ sequen-  
tur intellec-  
tionem.*

Tertia denique sententia Essentiam Divinam confitente affirmat in actuali intellectione, eò scilicet quod hic conceptus omnium in Deo sit perfectissimus, ac primus prædictorum in Deo non transcendentium, & ad quem reliqua Dei perfectiones velut Attributa, & Metaphysicae proprietates consequuntur: Volitio enim imprimis ad intellectionem, ut realiter in creatis (nihil quippe volitum quin præcognitum) ita ratione nostrâ in Deo sublequitur: Voluntatem denique coimmanatur vel sequuntur alia Attributa in ea fundata, *Iustitia*, *Misericordia*, *Onnipotētia*, &c. Primus ergo in Deo conceptus determinatus est *actualis Intellectus*; in ea igitur Essentia Dei, Metaphysicè sumpta, convenientissime statuitur. Ita Suarez in Metaph. d. 30. l. 15. Cond. 3. & lib. 11. de Trin. c. 5. n. 16. Fasfolus i. p. q. 4. a. 2. dub. 7. n. 48. & 51. fecuti Aureolum in I. d. 35. p. 1. a. 3. Quam etiam sententiam tenet eruditissimus D. Caramuel in Theologiâ rationali, Medit. 4. art. 4. Citantur super Cajetanus, Capreolus, Ferrara, Bannez, & alii Thomistæ; sed hi nihil aliud dicunt, quam gradum *intellectualis*, nostro concipiendo modo, ultime differentia locum in Deo tenere: quod non arguit Essentiam Dei Metaphysicè sumptam, in actuali intellectione sitam esse, ut mox videbimus.

*X.  
Valde proba-  
bilis est hac  
sententia.*

Hanc sententiam ex omnibus hæc tenus relatis, maximè censeo probabilem, & si plenè non detur in Deo actus primus intelligendi, amplectendam. Prius ergo quam de ea ferri judicium posit, hac quæstio est discutienda.

## SECTIO SEXTA.

### Sitne in Deo actus primus intelligendi.

*I.  
Status quo-  
nitie.*

**C**ONSTANS Theologorum, certissimâque sententia est, Deum realiter loquendo, esse suum intelligere, actualissimâque intellectionem secundum habere identificatum. Quælio ergo præfens est, utrum hoc rerum omnium scientia, hoc inquam perfectissimum Dei intelligere, ita in eo sit, ut actum primum, etiam ratione nostrâ, excludat.

*II.  
Non est in  
Deo ratione  
nostrâ actus  
primus pro-  
ductivus  
intellectionis  
essentialis.*

Qua in re indubitate apud omnes est, sicut recipi nullus est actus primus per modum vera potentia à parte rei productiva actualis intellectionis essentialis in Deo, utpote quæ est essentialiter improposita: ita nec ratione nostrâ posse hujusmodi quidquam in eo concipi. Sicut cædem de causâ in Deo concipere nequimus rationem corporis, aut quid simile: esto enim penes intellectum sit in re quipiam cum veritate concipere inadæquatè id quod in ea est, non tamen quod in ea non est: foris enim actus falsus, objecto scilicet, prout est à parte rei disiformis, nec prædicatum verè in Deo existens apprehendit, sed extraneum ei affingit.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Ulterius notandum, licet à parte rei omnia in Deo realiter sint unum, postea tamen intellectum, ut in aliis rebus, ita & in Deo variis conceptus inadæquatos formare diversarant, quæ in eo continentur, perfectionum, easque intentionaliter à se invicem dividere, *Institutum* scilicet, *Misericordiam*, *Intellectum*, *Voluntatem*, *Relationes*, *Essentiam*, &c. Cum enim haec perfectiones, quæ in rebus creatis sunt dispersæ, reperiuntur in Deo in unum coniunctæ, sufficiens fundamentum præbet intellectui ad illas in Deo distinguendas, & mentaliter separandas, nunc scilicet unam concipiendio, nunc aliam: sicut in prædictis *Entis*, *Substantie*, *Viventiis*, & similibus, fieri posse omnes fatentur, tum in divinis, tum in creatis.

Prima itaque sententia negat in Deo concepi posse actum primum intelligendi, ab actuali intellectione distinctum: ita Aureolus in I. d. 35. a. 3. Gabriel ibidem, dub. primo: quam etiam sententiam latè probat, & nervosè defendit P. Hericet tract. I. de Scientia Dei, disp. 2. cap. 3. Eandem opinionem tenet P. Hurtado disp. ult. Metaph. I. 2. n. 22. & ex recentioribus non pauci. Citatur etiam à nonnullis P. Suarez: de ejus tamen mente numero sexto.

Secunda sententia è contrario affirmat, esse ratione nostrâ in Deo intellectum per modum actus primi. Ita Vasquez I. p. d. 102. c. 1. & d. 119. c. 3. & alibi scilicet, Molina prima part. quæst. 4. art. 4. Mætrius tract. de Deo d. 44. scilicet. 4. Granado I. part. d. 1. de Scientia Dei, n. 5. Alarcon tract. 2. de Scientia Dei, d. 1. c. 1. P. Arriaga I. p. d. 15. l. 3. & tñque frequentissima inter Theologos opinio.

Hanc etiam sententiam, licet à nonnullis pro contraria citetur, tenet aperte P. Suarez d. 30. Metaph. scilicet. 1. Esto namque à numero quartó usque ad duodecimum, neget Deo veram potentiam physicam, seu vim producenti & recipiendi intellectionem essentiali, numero tamen 12. & 13. ait posse nos per rationem præscindere in Deo aliquid per modum radicis respectu intellectionis actualis: quod etiam sectione 16. numero 9. affirmat de voluntate, modo illud non concipiamus tanquam productivum aut receptivum intellectionis & voluntatis: hoc enim, cum in Deo non sit, concipi in eo nequit per conceptum inadæquatum: actus quippe præcisivus, ut scilicet dixi, non representat in re quipiam id quod in ea non est, sed inadæquatè representat quod est. Unde P. Hericet citatur tandem num. 21. Patrem Suarez esse in hac sententia.

Mihil hac in re probabilius videtur, cum auctori bus secundæ sententiae, dari in Deo intellectum per modum actus primi, sine cum appellare quis velit cum quibusdam, potentiam intellectivam, sive cum aliis, vim & facultatem per modum radicis perceptricem objectorum. Hæc videtur mens S. Thomas I. part. quæst. 41. a. 4. ad tertium, ubi loquens de intellectione & volitione actuali in Deo, sic habet: *Respectu*, inquit, *horum actuum non potest salvare ratio potentia in Deo, nisi secundum modum intelligendi & significandi tantum, &c.* Eni m ut S. Doctor concedit ratione nostrâ potentiam in Deo ad actuali intellectionem, quæ est ipsissimâ nostra conclusio. Et lib. 2. contra Gentes, c. 10. *Si aliqua, inquit, actiones Deo convenient que manewant in agente, respectu illarum non dicetur in Deo potentia, nisi secundum modum intelligendi, non secundum rei veritatem: hujusmodi autem actiones sunt intelligere & velle.* Quod etiam alibi scilicet affirmitur: licet enim ubique neget dari in Deo potentiam effectivam

*Perfectiones  
in Deo iden-  
tificatus in  
intellectus in-  
tentionaliter  
potest divi-  
dere.*

*IV.  
Prima sen-  
tentia negat  
in Deo alii  
primum.*

*V.  
Seconda sen-  
tentia statuunt  
actum pri-  
mum intel-  
legendi in  
Deo.*

*VI.  
P. Suarez  
admitit in  
Deo alium  
primum in-  
telligendi.*

*VII.  
Datur in  
Deo intellectus  
per modum  
actus pri-  
mum.*

*S. Thomas  
affirmit in  
Deo actum  
primum in-  
telligendi.*

TOMVS I. effectivam & receptivam actualis intellectionis, ait nihilominus posse ratione nostrâ in eo concipi principium aliquod radicale intelligendi, in quo actualē intellectionem & volitionem esse ait, tanquam operations immanentes.

## SECTIO SEPTIMA.

Declaratur ulterius, & probatur ratio actus primi in Deo.

I.  
In actu pri-  
mo intellige-  
di in genere,  
tria prae-  
cipue repre-  
sentantur.

Principum  
in actu pri-  
mo intelli-  
gendi.

II.  
Alia Dei  
Attributa  
habent ali-  
quid per  
modum ra-  
dix, Ergo  
& actualis  
intellectio.

III.  
Essentia Di-  
vina est ali-  
quo modo  
radix rela-  
tionum.

Intellectio  
est quodam-  
modo radix  
volitionis.

**V** ergo declaretur quo pacto, scilicet im- perfectionibus, sit in Deo actus primus, seu principium radicale intelligendi, notandum, in actu primo intelligendi generatim sumpto, tria potissimum reperiiri. Primum est virtus, Physicæ actualis intellectionis productiva: hanc autem, ut dixi, certissimum est in Deo respectu intellectionis essentia non reperiiri, quia nimirum essentia liter est improducta. Secundum est, virtus intellectionis receptiva; & hic similiter conceptus à Deo quam longissime removendus, utpote qui apertam involvit imperfectionem. Tertium denique, & pricipium in principio radicali intelligendi, est vis quadam perceptiva objectorum, ab actuali intellectione representatorum: cum ergo non minus hoc Deo competit, quam animæ vel Angelo, poterit hac ratio mente in Deo praescindi ab intellectione actuali tanquam id quod denominatur intelligens, & percipiens objectum; sicut etiam in anima & Angelo ejusmodi concepti ratio potest. Hunc itaque conceptum sic præsum, vocamus actuū primum, ac virtutem & facultatem intelligendi, seu radicem intellectionis actualis, non productivam aut receptivam, sed aptam ab illâ denominari, eamque essentia liter exigen- tem.

Quod ergo hujusmodi aliquid reperiiri in Deo posset, probatur ex aliis Dei Attributis, *Infirmitate*, *Misericordia*, &c. respectu quorum, in communī Theologorum sententia, Naturæ seu Essentia Di- vina habet se instar radicis, quæque per modum quasi subfrati varias ab illis denominationes accipit: ergo & aliquid ejusmodi dari in Deo sine incommodo potest respectu actualis intellectionis, quodque denominationem intelligentis ab eā recipiat, sicut à misericordia recipit denominationem misericordis, & sicut de aliis. Quodverò hic ratione nostrâ sit actuū primus, videtur manifestum: in primis enim non est actuū secundus intelligendi, cum ab actuali intellectione præscindatur: deinde est aptitudo ad recipiendam ab intellectione actuali denominationem intelligentis, & percipiuntis ob- jectum: nihil ergo ei debet ad actuū primum in- telligendi.

Conf. Absoluta in Deo secundum omnes, sunt priora relativis: unde essentiam concipiimus ut aliquo modo radicem relationum. Relatio itaque Paternitatis sequitur ratione nostrâ ad Naturam, eique suam tribuit denominationem, & tamē Naturâ nullo modo est principium, vel effectivum relationis Paternitatis, utpote essentia liter im- producere, vel receptivum. Conf. secundū: Intellectio actualis in Deo, est aliquo modo ratione nostrâ radix Logica volitionis actualis, ut cum S. Thomas part. quart. 19. art. 1. Corpore, communis habet Theologorum sententia. Sicut ergo intellectio concipi potest ut aliquā ratione prior volitione secum identificata, quidni ad ipsam etiam intellectionem concipi aliquid cum fundamento

poterit, ut eā aliquo modo per rationem prius, quantumvis realiter cum illa identificetur.

Secundū probatur Conclusio: Si quid obstat quo minus concipi in Deo possit hujusmodi actus primus, est ob imperfectionem aliquam, quam involvet: sed nullam involvit: ergo probatur minor: imperfectione haec est potentia respectu actualis intellectionis; sed nulla est in hoc potentialitas, ergo: minor haec probatur: licet enim conceptus ille objectivus sit actus pri- mus, & radix, & aliquo modo potentia respectu intellectionis actualis, non tamen est in potentia respectu illius; hoc namque sonat vel quid eam actum non habeat, vel saltem quid possit non ha- btere, quorum tamen hic neutrū reperitur: essentia liter quippe illam habet: sicut Essentia non est in potentia ad Relations, & alia Atributa, esto per rationem ab iis præscindi possit, tanquam quid aliquo modo illis prius.

Non recte ergo contra actum primum hoc modo explicatum infert P. Herice citatus, actum primum non distingui à secundo: clarissime enim distinguitur: sicut namque in creatis est actualis intellectio, quæ tribuit ut quo denominationem intelligentis, & aliud realiter distinctum quod de- nominationem illam recipit ut quod; ita in Deo ratione nostrâ duos cum fundamento distinguere conceptus possumus, actualē scilicet intellectionem, quæ ut quo tribuit denominationem intelligentis, & aliud ratione distinctum, quod eam ut quod recipit: hic vero conceptus for- maliter in actuali intellectione non reperi- tur.

Nec etiam urget, quod opponunt nonnulli, Deum scilicet essentia liter est actuū intelligentem, ergo in eo nullus est actuū primus. Hoc, in- quam, non urget; solum enim probat, non posse dari in Deo actuū primum realiter à secundo di- stinctum, seu ita, ut possit sine actuū intellectione exsistere; non tamen probat, non posse duos hujusmodi inadæquatos in eo conceptus per intellectionem distingui, & non realiter, sed intentionaliiter, ab invicem separari. Sicut *Ins* idem sonat quod potens, seu aptum exsistere, & quod, nemine negante, conceptus communis Deo & creaturis, licet in Deo non possit; non actuū exsistere, in creaturis vero ita potest exsistere, ut possit non exsistere. Quemadmodum ergo hic, licet Deus essentia liter actuū exsistat, abstrahi ni- hilominus secundum omnes potest conceptus Entis, seu potens, vel apti exsistere, communis Deo & rebus creatis; ita abstrahi similiiter potest conceptus potens, seu apti recipere denomina- tionem intelligentis, esto essentia liter actuū in- telligenti.

Objicies, (estque præcipua difficultas in hac materia) Deus est actuū purus, ergo nihil admix- tum habere debet potentia nec actuū primi: po- tentia quippe necessariò potentialitatem, potentialitas imperfectionem involvit. At sanè hoc opponi videtur communī Theologorum senten- tia, apud quos nihil frequentius, quam ut ratio- nem potentia in Deo admittant, saltem ratione nostrâ: sic namque loquitur S. Thomas, ut scit. præcedente vidimus, numero septimo, & alii paſſum.

Hinc Pater Suarez disp. trigesima Metaphysicæ, Sectione decima-quinta numero nono, & sectione decima-sexta numero undecimo, cum alius docet, esse in Patre intellectum per modum potentia respectu Filii, & in Patre & Filio voluntatem per

IV.  
Alius pri-  
mus in Deo  
nullam ar-  
gueat imper-  
fectionem.

Aliud est.  
esse posse  
tamen, aliud  
in potencia.

V.  
Declaratur  
ulterius, quo  
modo hic a-  
ctus primus  
distinguitur  
à secundo.

VI.  
Non obstat  
actus primo,  
Deum esse  
essentia liter  
actuū intelli-  
gentem.

Non magis  
repugnat  
Deo conce-  
ptus actuū  
primi, quam  
conceptus  
Entis.

VII.  
Objic: Deus  
est actuū purus.  
Ego nō vell actuū  
primum.

Potentia  
aliquam in  
Deo statuū  
potest in Thee-  
logi.

per modum potentiae respectu Spiritus Sancti. Imò libro sexto de Trinitate cap. quinto, ex communi, ut ait, Theologorum sententia, affirmatur in Deo potentiam, non solum respectu termini producti, Fili scilicet & Spiritus Sancti, sed etiam respectu actuum notionalium, five actus hi sunt relationes Paternitatis, & Spirationis activæ, five intellectio & volatio connotantes relationes predictas, secundum diversas in materia de Trinitate hac de re sententias, & tamen certum apud omnes est, nullam admitti posse in Deo potentiam, & Essentiam Divinam, etiam ibi, esse actum purissimum.

IX.  
Essentia est  
radix Attri-  
butorum, &  
tamen actus  
purus.

Deinde hæc difficultas in aliis omnibus Dei Attributis, *Inflatio*, *Misericordia*, &c. solvi debet: ideo enim vocantur Attributa, quia attribuuntur, & accidunt ratione nostrâ Essentia, & ab illâ, nostro intelligendi modo, exiguntur: nullus tamen propterea potentialitatem in Deo, vel per unum, admittendam censet, sed cum omnes docent esse actum purissimum.

X.  
Declaratur  
quo pado  
actus primus  
& actus pa-  
rus non se  
invicem ex-  
cludant.

Respondetur itaque, ad actum purum sufficere, quod Essentia Divina cum illis Attributis, & actus primus seu radix & vis intelligendi cum actuali intellectione non faciat veram compositionem, nec actuallis intellectio illi insit tanquam potentiae Physice receptivæ, quæ semper imperfectionem involvit Deo repugnantem: at vero quod ratio ne nostrâ conceptus varij inadequati de Deo formentur, qui in ipso sunt identificati, nullam arguit imperfectionem, sed perfectionem potius: ostendit enim Deum esse Ens simpliciter infinitum, omnesque rerum creaturarum excellentiæ, quæ in ipsis disperse reperiuntur, in se uno identificatas, longe perfectiore modo complecti.

XI.  
Qualis sit  
hac prioritas  
inter alios  
actus primus &  
secundum.

Quæres, in quo sita sit prioritas, quam ratione nostrâ statuimus inter hunc actum primum intelligendi in Deo, & actualem intellectionem, inter Essentiam & Attributa. Resp. in eo consisteret, quod quoties in rebus creatis praedicta rationibus hisce in Deo mente præcisæ similia inveniuntur realiter distincta, vel unum producat aliud, ut in principio intelligendi contingit respectu intellectionis creatæ, & in essentia respectu passionum, vel saltem tanquam radix illud exigat, quod de gratia dici communiter solet respectu habitu supernaturali, quorun infusionem postulat, quanvis habitus isti supernaturales à gratia Physice non promanant. Idem dicunt multi de Essentia in creatis, quam licet afferant exigere passiones, Sol nimurum exigit lucem, ignis calorem, &c. aut nihilominus passiones hæc, non ab essentia, sed à generante produci.

XII.  
Cœcluditur,  
cum intelli-  
gendi in Deo,  
esse actum  
primum.

Est ergo in Deo vera virtus intelligendi, quæ per actualem intellectionem tendit in objectum: hæc autem virtus, ut ab actuali intellectione distingua, est actus primus, cum planè præscindat ab actu secundo, ut ostendit est, cumque postulet, habetque se instar substrati in denominatione intelligentis, nempe tanquam in quod denominationem illam recipit, quemadmodum in aliis denominationibus *Iusti*, *Boni*, *Omnipotens*, &c. in Deo contingit. Plura hac de re addentur infra Disputatione vigesima-sextâ, sect. secunda, dum de actu primo volendi.

## SECTIO OCTAVA.

### *Resolvitur quæstio circa ultimum constitutivum Essentia Divine.*

**E**X omnibus haec tenus dictis concludo cum Vásquez prima parte quæstione decima-tertiâ articulo secundo & Disp. 102, capite primo, & Disp. 119, capite tertio, & alibi. Molina & Mæratio suprà citatis Sectione sextâ numero quinto. Granado prima parte disp. 3. de Scientia Dei, lect. 2. Alarcon tract. secundo cap. quinto, P. Arriaga Disputatione decima-sextâ sectione quartâ, & aliis, ultimum & Metaphysicum conceptum Essentia Divine constitutivum non consistere in actuali intellectione, sed in conceptu ratione nostrâ actualem intellectionem antecedente, actu scilicet primo intelligendi, quem in Deo admittendum esse, hujus decursu disputationis ostendit.

**L**  
*Essentia Di-  
vina non  
consistit in  
actuali in-  
tellectione,  
sed in illius  
radice.*

Hæc videtur clara mens sanctorum Patrum, quos suprà retuli Scđ. 2. num. 5. qui eodem modo loquuntur de Scientia Dei seu Sapientia, ac de aliis Attributis, camque dicunt non esse Naturam seu Essentiam, sed circa Naturam seu Essentiam: sic enim, ut vidimus, loquitur S. Gregorius Nyssenus, Nazianzenus, Cyrillus, Damascenus, & alii passim. Hæc vero Patrum dicta necessariò intelligenda sunt secundum rationem nostram, & per intellectum: realiter siquidem, & à parte rei certum est Attributa non esse circa Naturam, sed ipsissimam Naturam.

**II.**  
*Negant Pa-  
triæ, Essentia  
Divina non  
consistit in  
actuali in-  
tellectionem.*

Hoc etiam aperte docet S. Thomas, tum alibi, tum prima parte in Praefatione ad Quæstionem 14. ubi ait, sibi jam in animo esse de iis agere quæ spectant, non ad substantiam seu Essentiam Dei, sed ad operationem, tum internam, intellectionem scilicet & voluntatem; tum etiam externam, exercitum nimurum Omnipotentis. Quibus verbis & negat actualem intellectionem seu Scientiam esse de substantia & Essentia Dei, camque pari modo se habere afferit cum Omnipotencia, quæ tamen juxta omnes non spectat Metaphysice loquendo ad primarium Dei conceptum. Item quæst. 26. disputans de divina Beatitude art. 2. Corpore, *In Deo*, inquit, non est aliud esse & intelligere secundum rem, sed tantum secundum intelligentiam rationem. Hinc ulterius probat, beatitudinem Dei ( quam ibidem consistere ait in intellectione, sicut beatitudinem nostram ) non esse formaliter ipsam Essentiam Dei, sed Attributum. Unde ad primum, Licet, inquit, Deus sit beatus per suam Essentiam, non tamen hoc ei convenit secundum rationem Essentie, sed magis secundum rationem intellectus.

**III.**  
*S. Thomas  
ait Essentiam  
Divinam non  
consistere in  
actuali in-  
tellectione.*

Nec sibi aut nobis contrarius est sanctus Doctor locis à contraria sententia Auctioribus explicantur. In primis enim prima parte quæstione decima-quarta articulo quarto, dum ait, Intellegere Dei esse ejus substantiam; loquitur de identitate tantum reali, ut patet ex ultimis verbis in Corpo illius articuli positis, *Ex eo* scilicet quod Deus dicitur intelligens, nullam ponit in ejus substantia multiplicatatem; realem scilicet: nam, ut numero præcedente vidimus, in Praefatione hujus quæstionis 14. docuerat, intellectionem Dei ratione nostrâ non esse ejus substantiam.

**IV.**  
*Explicantur  
dicta quadam  
S. Thoma  
circa Es-  
sentiam, & In-  
tellectionem  
Dei.*

TOMVS I. iam, seu Essentiam. Quo etiam modo non incongruē intelligitur a. 2. ejusdem questionis, dum ait Deum se per seipsum intelligere; solum enim contendit, ut patet ex contextu, non intercedere realē distinctionem inter intellectionem & objec-  
tum, dum Deus se intelligit, quod tamen in no-  
bis contingit.

V.  
Quo sensu  
dicat S. Tho-  
mas Intelli-  
gere Dei esse  
eius Ess.

*Voluntas in  
Deo iuxta  
S. Thomam  
segitur in  
intellectum.*

Quod verò, dum S. Thomas affirmat *Intelligere* Dei esse eius *Esse*, & alia hujusmodi, hęc solum arguant loqui S. Doctorem de identitate reali, non rationis, confitit ex similibus loquendi formulis circa alia Dei Attributa: sic enim 1. p. q. 10. a. 2. Corpore, fine, loquitur de Aeternitate: *Sicut*, inquit, *Deus est sua Essentia, ita est sua Aeternitas.* Et quæst. 19. a. 1. insine Corporis disputans de Dei Voluntate, *In Deo*, inquit, *sicut suum intelligere est suum Ese, ita & suum velle.* Ubi manifestum videtur loqui cum solum de identitate reali; nam initio Corporis dixerat voluntatem in Deo sequi intellectum, ergo ratione secundum S. Thomam distinguuntur, & Deus est suum velle realiter tantum, & identificè. Sic S. Doctor alia Dei Attributa, ut esse *Omnipotentem, Bonum, &c.* interdum ait esse de Essentiā Dei; quæ non nisi de reali identitate intelligi possunt, cum S. Thomas variis locis admittat distinctionem Attributorum ab Essentiā. Eodem etiam modo explicandi sunt alii Patres, sicuti Intellectionem, seu *Intelligere* Divinum esse dicunt illius Essentiam.

VI.  
Ratio cur  
Essentia Dei  
Metaphysica  
non consistat  
in actuali  
intell.

Ratio denuo Conchotionis est: ex communi quippe, & apud omnes recepta definitione, Essentia cuiusque rei est illud *quod rem illam primò ab omni alio distinguit, reliquorumque, que in ea reperiuntur, radix est & fundamentum.* Hanc enim ob causam cum Aristotele docent Philosophi omnes, Essentiam hominis esse *Animal Rationale*, quod nimur hec prædicta & hominem primò ab omni non nomine distinguant, & passiones ejus ac proprietates, *Admirativum scilicet & Risibile* ab iis ratione nostrā tanquam à radice orientantur, sicut passiones Physicæ ab essentiā Physicā verè & realiter promanant.

VII.  
Actualis in-  
tellectio non  
primò Deum  
ab omni alio  
distinguit.

Hinc ergo constat, Essentiam Dei Metaphysicam in actuali intellectione non consistere, ut potè ante quam aliud illā prius concipiatur, actum scilicet primum intelligendi *Infinitum & A se*, per quam Deus & à prædicto omni intra Deum, non transcendentem, rebusque extra cum universis distinguitur, cūque ratione nostrā actualis intellectionis, ceterorumque ad eam consequentium radix; sicut secundum Philosophos *Animal Rationale* est radix Metaphysica Admirativi ac Risibile in homine.

## SECTIO NONA.

Objectiones quedam contra Metaphy-  
sicum Essentiae Divinae conceptum,  
in actu primo intelligendi à  
nobis statutum.

I.  
Objicit: à  
parte rei  
nullus est  
ordo prioris  
aut posterioris: ergo ne  
ratione,

OBIECTUS primò: in Essentia Divina rē ipsā nulla est prælatorum series, aut distinctio, nullus ordo prioris aut dignitatis: ergo nec ratione nostrā. Hanc objectionem, cui nonnullos plurimū insistere animadverto, aliquoties jam supra tetigī, ut facta prima hujus Disputationis num. 3. 4. & 5. & facta 4. num. 1. 2. & 3. ostendique hunc procegendi modum & Philosophis omnibus

cum Aristotele aduersari, & Theologis cum S. Thoma, ubique Essentiam in Deo ab Attributis distinguente, & tum inter eam & Attributa, tum Attributa inter se, ratione nostrā prioris & posterioris, atque etiam dignitatis ordinem agnoscere. Sic 1. part. quæst. 10. a. 2. Corp. ordinem prioris & posterioris agnoscit inter *Immutabilitatem Dei* & ejus *Aeternitatem: Ratio Aeternitatis*, inquit, *conse-  
quuntur Immutabilitatem.* Et quæst. 19. tantudem docet de *Intellectu respectu Voluntatis: Voluntas*, inquit, *Intellectum consequitur.* Ut mirum mihi accidat, recentiores quosdam Theologos hunc S. Thomam circa Attributa Divina discurrendi modum, & Aristotelis circa prædicta creata, *Rationa-  
litatem scilicet & Risibilitatem* in homine, priorita-  
tēque inter ea ac posterioritatem statuentium re-  
jicere, non ut peregrinum tantum, sed inutilem.

Dico itaque, licet à parte rei nullus sit ordo prioritatis aut dignitatis in prædictis Divinis, cùm in re, nulla sit inter illa distinctio, sed omnino nō identitas; esse tamen in Naturā Divina, etiam à parte rei, fundamentum, ut intellectus noster prædicta illa inadæquatè representet, & instar re-  
rum creaturarum prioritatem in iis, & posterioritatem concipiatur, ut latius dictum est fact. 7. n. 2. 3. & 11. Quod verò in rationibus illis sic præcisus appareat inæqualitas, & ordo quidam dignitatis, videtur manifestum: Intellectus quippe solitariè hoc modo sumptus est perfectione *Immenitate & aliis quibusdam* prædictis simili ratione conceptis, & signilla-  
lum sumptus.

Objicies secundò: non subsistere rationem, quam fact. præcedente num. 6. assignavimus ad probandum Essentiam Divinam ultimò, & completem constitui per actum primum intelligendi, quod scilicet per hunc conceptum primò ab omni alio distinguitur; nam materia celi (in sentientia eam statuente unius tantum forma suscep-  
tivam) calum primò ab omni alio distinguit, & tamen non est materia illa adæquatum essentiae celi constitutivum, ut potè quod partialiter etiam, imò multo perfectius constituit formam.

Reip. Principium illud, *Quod rem primò ab omni alio distinguit, eam ultimò in suo esse complete constituit;* si in eo solum genere usurpetur, pro quo à Philosophis est institutum, nempe pro compositione Metaphysicā, tenere semper, ut per singula discurrendo constat. Sic in homine prædicta illa universalia, *Ens, Substantia, Corpus, Vivens, Animal*, hominis essentiam complete non constitunt, quia eam ab omni alio non distingunt: ubi verò accedit differentia *Rationalis*, jam habemus hominem quoad essentia plenè constitutum, & completum. Idem est de *Rugibili* in leone, *Himibili* in equo, & sic de ceteris. Hoc verò Principium aliò transference, eaque in compositione Physicā uti, est illo abuti, & ad id adhibere, ad quod non est institutum: nil ergo mirum, si illuc deficiat.

Ratio verò hujus ulterior est: nunquam enim in compositione Metaphysicā ponitur id, quod rem quampli primò ab omni alio distinguit, seu Differentia, quin supponatur altera pars, seu Genus jam positum, ad quod accedit differentia, & rem illam, qua quantum ad Genus cum variis aliis rebus, convenerat, ab omni alio distinguit, sicutque distinctivo hoc, seu differentia positā, habetur semper utraque pars Metaphysica, adeoque tota essentia. Primum enim quod in investigatione essentiae cuiusque rei, seu in definitione ejus conficiendā inquirimus, est prædicatum aliquod rei illi cum aliis communis, mox aliud prædicatum adjicimus quod

S. Thomas  
ordinem  
prioris &  
posterioris  
in divinis  
agnoscit.

II.  
In naturā  
Divina est  
fundamen-  
tum prioris  
ratione no-  
stra. & di-  
gitorum.

III.  
Objicit: non  
esse semper  
idem primū  
distinctivū,  
& ad aqua-  
tum consti-  
tutivum.

IV.  
Reip. primū  
distinctivū  
esse ultimū  
constitutivum Meta-  
physicā.

V.  
Cur Printi-  
pium illud  
tenent sem-  
per in com-  
positione Met-  
aphysicā,  
non verè  
semper in  
Physicā.